



Gormon filius fuit Haraldī, & nepos Biornī
 regum Daniæ. Is ad regnum uocatus hære-
 ditarium fortitudinis spiritum scrutandæ naturæ
 uestigijs, & etiã armis excolere statuit. Cum etiam
 regionum Septentrionalium inusitata uisendi cu-
 pidine duceretur, socijs assumptis, inter quos Thor-
 killus erat præcipuus, ignotum Oceanum ingres-
 sus est. Primò in Halogiam uentum, & tandem in
 ulteriorem Byarmiam magno periculo nauigatū:
 Postea ulterius progressi, Guthmundum & Geru-
 thum gigantes deprehenderunt, atq; inusitate ma-
 gnitudinis beluas inuenerunt. Hisce fortiter supe-
 ratis, aliquot thesauros acquisiuerunt, & tandem
 magnis laboribus exanthlatis, maioriq; sociorum parte amissa, rex & Thor-
 killus in patriam reuersi sunt. Fama postea innotuit, locum purgatorij ab ipsis
 inuentum fuisse, quæ tamen fabulosa relinquimus. Postea Gormon an-
 no 750 pacificè Danis præfuit, & tandem Gothricum fi-
 lium successorem reliquit. Saxo Gram-
 maticus libro octauo.